L 2

AD PETRVM FRANCISCVM PALLAVICINVM,

ALLARIENSEM

EPISCOPVM

Splendidiſsimum,
Iuuenem omni uirtutum genere
ornatiſsimum.

ANTONII CERRVTI

LVSVS.

MEDIOLANI. M.D.L[illegible].

A

Ad

In

Qu

Ad

Ad

Ad L

Ad L

Ad L

Ad A

Ad L

Ad L

De p

Ad A

De po

L

In V

Ad F

Ad P

De ſe

Ad H

Quin

Laud

In A

INDEX.

AD Petrum Pallauicinum. fol.1.
Ad Lydiam. 1.
In uitrum de Lydia, 2.
Quando Lydiæ captus amore. 3.
Ad Franciſcum Epiſcopum Allarienſem. 3.
Ad Barbarum Prætorem Patauinum. 4.
Ad Lydiam fugientem. 5.
Ad Lydiam. 5.
Ad Lydiam. 6.
Ad Alexandrum Farneſium. 6.
Ad Lydiam. 7.
Ad Lydiam. 8.
De pignore amoris Lydiæ. 8.
Ad Apolloniam Vitineriam. 9.
De poculo ſomnifero fruſtra porrecto Lydæ amicæ marito. 10.
In Vtineriam. 10.
Ad Fortunatum Martinengum. 10.
Ad Petrum Franciſcum Pallauicinum. 13.
De ſe ipſo. 13.
Ad Hieronymum Ruuerem. 14.
Quintilianus in detractorem. 15.
Laudes Lydiæ. 15.
In Adriam. 16.

Ad Bernardum Spinam. fol. 17.
In conantem diſſoluere amantes. 17.
Ad Io. Arcimboldum. 18.
De ſe ipſo & Lydia. 19.
Ad Petrum Franciſcum Pallauicinum in morte Patrui. 20.
Ad Io. Baptiſtam Bracellum. 21.
Lingua Latina in uulgarem. 22.
Ad Pompeium Amelphij principem. 24.
Ad Gabrielem Panigarolam. 25.
De fele & cane Marci Barbauarij. 26.
In Silcinum. 26.
Ad Dominicum Vanerium de ladudibus Calergiorum. 27.
Ad medicum quendam. 28.
Ad Marcũ Barbauarium de catulo & fele. 29.
Ad eundem. 29.
In febrem quæ eundem uexabat. 30.
De Lucæ Contilij Agia. 32.
Ad Ferdinandum Auſtrie principem urbem Venetam ingredientem. 33.
Quomodo à Petro Pallauicino receptus. 36.
Ad Lupanum. 38.
De Lydia. 39.

Ad Stephanum Spinolam Benedictum. fol. 39.
Ad Io. Baptiſtam Bracellum. 39.
Ad Claram Albignanam Iuliani Goſſelini Coniugem. 41.
Ad Cæſarem Vicecomitem. 41.
Ad Bernardum Gentilem Phœnicium Academicum. 42.
De Turca. 43.
Ad librum ut in lucem prodeat. 44.

Errata ſic corrige.

Pagina. 14. cogier in leueis. ſoluier in leueis.
Pagina. 15. Pylades prob. Prob Pylades ego:


TORPENTES EXCITO
.SCORPIONES FVGO

AD PETRVM FRANCISCVM PALLAVICINVM EPISCOPVM ALLARIENSEM SPLENDIDISSIMVM.

Antonij Cerruti Luſus.

Ode tricolos tetraſtrophos.

VT more᷑ gerere᷑ Petre ſodalibus
Paluicine meis candide dulcibus,
Sinceris & amicis,
Collegi Adriacos iocoſi
Sicut multoties tu mihi ſuaſeras,
Quos uoluens animo cui potius darem,
Tu cunctis mihi uiſus
Tali munere dignior.
Tu pulcher, iuuenis, ſanguine nobilis,
Et tu diues opum, tuq; animi bonis
Ornatus ſuper omneis
Aetatis iuuenes tuæ.

Te, propter celebres ingenij tui
Dotes Petre' adamo: ſume igitur librum
Noſtri pignus amoris,
Noſtras ſume etiam faces.

AD LYDIAM.

Ode dicolos tetraſtrophos.

CVR uidi nitidas Lydia pectere
Te perpulchra comas? lumina lumini
Aut cur appoſui ſidereo mea:
Quæ nunc uicta lauant genas.
Audaces oculi ad perniciem citi
Veſtram, auſi reſerare hoſtibus impijs
Poſteis; ad miſerum cor'q; patens iter
Feciſtis iaculo leui.
Illo ex luctifico, aut lethifico die,
Sic dicam meliùs, ſuaue nihil mihi,
Aut ori, aut oculis, aut animo fuit,
Sed cuncta aſpera, & horrida.
Quòd ſi Phorcis opus Deucalionis in
Antiquam ſpeciem uerterat, omnium
Curarum fuerat finis, & aſpera
Mors rerum ultima linea.

Eheu diſcrucior, nec pereo miſer,
Vndis tu rapidis, tuq; fugacior
Ventis, nec retines ſæua, nec eijcis,
At ſpretum religas coma.
Aut ſolue, aut retine amplexibus, hæc diu
Non durare poteſt uita miſerrima,
Si ſoluis pereo, ſi retines, tibi
Vitam Lydia comparas.
Quin uiuis potius? tecum ego uiuere
Vt poßim, atq; mori: ſed nequeo mori.
Da uitam, & uiue ſimul candida Lydia
Mecum carminibus meis.

IN VITRVM
de Lydia.

Ode dicolos diſtrophos.

CVR cogis me amor improbe
In ſemper uetitum tendere? quò mage
Mirari cupio faces
Lydæ ſidereas, quæ rapiunt mihi
Me me, quæ radios ſimul
Vincunt purpureos Delij Apollinis,

Quæ, fulgur ueluti Iouis
Diſrumpit ſilices, pectora tranſigunt
Noſtra, urunt iecur intimum.
*Quò oblector*ꝗ *magis lampade fulgida,*
Delectaris eò magis
A me abſcondere eam: tu nitidum uitrum,
Tu lucem ſenibus pigris
Auges, & meliùs te appoſito uident,
Noſtri cauſa mali ah uitrum
Mi ſoli miſero tu officis impium.
Pande en lucida lumina
*Poſt te quæ latitant, pande*ꝗ *ſidera.*
O præberet amor mihi
Lyncis nunc oculos, lucem & Apollinis,
Te inuito fruerer mea
Lyda, imò ipſa anima dulci, & amabili.
Poſt te Lyda latet uitrum,
Et tu tanta Deûm gaudia poßides.
Phœbi per tua tranſeunt
Clauſtra illæſa oculi, Lydia & inijcit,
Poſt te dum latet impia
In me ſæua nimis ſpicula, quæ meum
Pectus dilaniant: uitrum
Ah iam pande precor lucida ſidera,

Poſt te quæ latitant : uitrum
Hoſteis pande meos ſemper amabiles,
Pande, ah ne mihi deneges,
Nam poſt te latitant : cernimus igneas
Stellas, pande precor, precor:
Nec celare potes ſidereas faces.
Poſt te : ſed miſeret nihil
Te noſtri, ſilice es durius, igneis
Et tu deinde caloribus
Solueris, pietas non datur impijs.

QVANDO LYDIAE captus amore.

Ode tricolos tetraſtrophos.

DVM cœlo gelidæ deciderent niues,
Et concreta gelu marmoreo æquora
Eſſent, atq; rigerent
Duro frigore flumina.
Noſtra in corda globos uoluere feruidos
Flammarum, atq; faces Lydia pulchrior
Pulchris, hæcq; leæna, &
Sæua tigride ſæuior.

Ah ueſane puer, plene laboribus,
Falſa ſub ſpecie cui placet impari
Mentes iungere amore,
Hoſtem ut depereant ſuum:
Aut Lydam calidis ignibus urere,
Aut noſtrum niuibus ſpargere frigidis
Pectus ſæue uelis, aut
Sit deformior, aut amet.
Non aduerſa diu ſtare ſimul queunt,
Nanq; in diſsimili gratia nulla adeſt.
Aut diſſolue iugum, nos
Iunge aut uinculo aheneo.

Ad Reuerendiſsimum Franciſcum Epiſcopum Alarienſem.

Ode dicolos diſtrophos.

Beatus ille ter quaterq;, qui expetit
Omni carere crimine.
Quò inſigniores ſunt magiſtratus, eò
Dicendus eſt beatior.
At ſi nepotes ille poſt ſe liquerit
Virtutis æmulos ſuæ,

Qui pectus imbuant ſcientijs ſuum,
 Sanctisq́; legibus, neq́;
Per improborum tranſeant iuuenum uiam,
 Erit puto beatißimus.
O quanta lætitia oritur præcordijs
 Præclara contuentium
Surgentis acta prolis, omnes inſuper
 Laudare mores candidos.
Si tanta contingunt bona ulli gentium,
 Tibi beate confluunt,
Qui fratris inclytam uides prolem tui
 Viam in uirtutis tendere.
Et more fortis Herculis, per ardua,
 Voluptuoſa linquere.
Dij te diu ſeruent, beentq́;, ut cernere
 Poßis nitentem purpura
Petrum nepotem gloriæ æmulum, tuæ
 Gentisq́; multæ principem.

AD BARBARVM Prætorem Patauinum.

Ode monocolos.

PRætor magnifice, horrido rigeſcunt
Pedes frigore, nec pilo cothurnos
Ex multo tenuiq; conglobatos,
Ad arcendum hyemis trucem furorem
Remittis: rapuit tuus ſatelles
Ius contra omne mihi iubente tete.
Quare ni in Tragicos uelis cothurnos
Vertantur ſubito mei cothurni,
Remittas mihi. Vis agam ſenatu
Hanc cauſam in medio? meos cothurnos
Iniuſtè rapuit tuus ſatelles,
Atq; ipſis fruitur. Satelles ergo,
Me inuito, fruitur meis cothurnis,
Noſtri & frigoribus pedes rigeſcunt.
Neq; hoc ius hominum, neq; eſt Deorum.
Quare ſi ſapies meos cothurnos,
Prætor magnifice, illico remittes,
Iratam Nemeſim niſi experiri,
Et muſam cupias meam furentem.

AD LYDIAM fugientem.

Ode dicolos diſtrophos.

OStendis faciem mihi
Quum tu ſideream, mox fugiens lates
Poſt uitrum, iecur heu meum
Imples uulneribus. Parthicus utq; eques,
Hoſtem qui fugiens ferit,
Te exerces, minùs & me iaculis feris
Præſens: ſed latitans meum
Cor crudeliùs eheu laceras, latens
Lyde quid facias ſcio,
Arcum tendis, & unum in me acuis nimis
Sæua atq; aſpera ſpicula.
Arcum ah pone, tuos dum iaceo ad pedes
Victus: tendoq; ſupplices
Ad te ò dura manus, parce precor, precor.
Victum cingito ferreis
Vinclis, aut potiùs Lydia brachijs.
Sit uiciſſe ſatis: tua
Maior gloria erit parcere, perdere

Quàm ſeruum tibi amabilem,
Qui te plus oculis, imò anima ſua,
Infelix modo deperit,
Admiſit ſceleris qui nihil impij
In te, crimen amor niſi eſt.
Dignum ſolus amor præmium amoris eſt.

AD LYDIAM.

Ode dicolos tetraſtrophos.

NVnquam ſæuitiam, lactea Lydia,
Ingratam Veneri, ponere cogitas?
Nunquam te miſeret ſupplicum amantium?
Sed ſis ſæuior in dies?
Nec cernis ſenium quàm tacito pede
Repat lenè, uehens & capiti niues,
Et rugis faciem puniceam exarans,
Quæ nunc ſidere clarior.
Quum te nullus amans, qui modo pallido
Vultu ſollicitat limen, adibit, at
Damnabit tacita uoce ſuperbiam, &
Ridebit uetulam uidens?

Spectabis'q; alias ſollicitarier
Pulchras, & faciles ſe dare amantibus,
Plorabis miſera, & tu tibi eris grauis,
Tu moroſaq;, & inuida
Dices: præteritos ò mihi Iuppiter
Annos reddere ſi uellet, amantibus
Non ultra implacida, aut difficilis forem:
Serò at me modò pœnitet.

AD LYDIAM.

Ode monocolos.

QVum cerno faciem tuam decoram,
Quæ uincit Venerē nitore pulchrā,
Caſsus lumine tunc ego eſſe uellem,
Vt ſemper memori tui illa imago
Menti impreſſa maneret, atq; fixa.
At dum ſidereis tuis ocellis,
Qui uincunt radios dei nitentis
Claros, Lydia me aſpicis benignè:
Tunc tunc diſcuperem mori beatus
Si ad pedes morerer tuos ego eſſem,

Nam non cautibus es ſata, aut leæna,
Hircanis neq; tigribus, tacere
Extremum ut ualeas uale oppetenti,
Cui uiuo requiem negasq; pacem.

Ad Alexandrum Farneſium Cardinalem.

Ode dicolos diſtrophos.

FArneſi iuuenum decus,
Quē iam iam eſſe uirū magnanimū decet,
Et cui cernere lynceis
Præſtat nunc oculis in tenebris nigris:
Claro quæ prius in die
Spreuiſti (loquimur Muſa quod imperat)
Tales nunc ago gratias
Pro antiquo officio, quod tibi præſtiti:
Quales reddere debuit,
Qui nunc purpureo crine nitet. Meis
Si aßignata laboribus
Eſſent aßiduis præmia, in otio
Traxiſſem miſeram pigro
Vitam: quum propria non potui ſtipe

Seruire amplius, exijt:
  Et quum à me peteret creditor in tuo
Quæ diſpendia feceram
  Longo ſeruitio, deſpicis. o bone
Diuorum atq; hominum pater,
  Quanta hinc orta mihi ſunt bona, amabili
Si feciſti animo, deis
  Pro te fundo preces aſsiduas pijs,
Vt te cuſtodiant diu,
  Regale & ſolium reſtituant aui.
Sin factum eſt aliter, notis
  Portandum rapidis ſuppliciter precor
Donent: nam ex animo intimo
  Semper te colui, teq; colo, & colam.
Iraſci fugias mihi,
  Si de te tacui, nam timui meos
Ne gnatos ueluti hactenus
  Patrem deſpiceres. Quum mea nouerit
Muſa ut grata tibi, dabit
  In lucem uaria, & docta poëmata,
Quæ ſeruat tibi candido
  Et docto iuueni, imò domino ſuo.

AD LYDIAM.

Ode dicolos tetraſtrophos.

AEquus ſi eſſet amor, ſi Nemeſis dea
Tam iuſta, ut referunt, præmia redderet:
Aut me Lydia amares face mutua,
Aut pœnas meritas dares.
Iniuſtus ſed amor, nec dea reſpicit
Amenteis animos ſemper amantium,
Quanquam diſsimulet tempore crimina
Longo: pœna tamen comes.
Quid non ſentit amor ſollicitudinis?
Et quid non aloës in ſe habet? eſt cibus
Veſanis aloë gratus amantibus,
Melle aſperſus Hymettio.
Eſt perparua, fugax, mixta timoribus
Illis lætitia, at continuus labor,
Luctus, pœna, timor, damna, odiũ, doli,
Rixæ, iræ, dedecus, dolor.
Et nunquàm miſeret Lydia te mei,
Qui tam dira pati, atq; aſpera non nego.
Ah crudelis amor, tange tuo aureo
Telo corda adamantina,

Aut tange, aut calidis ignibus exue
Cor noſtrum, at potius pectora percute
Ingratæ huius amor, ureq́; amoribus,
Flammis ureq́; mutuis.

AD LYDIAM.

Ode dicolos diſtrophos.

QVum te conſpicio nihil
Accurare meas ſollicitudines,
Intenſisq́; doloribus,
Aut noſtris querulis credere uocibus:
Proh tunc diſpereo miſer,
Ante & tunc tenebras, in tenebras nigras
Opto effundere ſpiritum,
Hanc ipſamq́; animam Lydia perdere.
Hoc unum doleo, malè
Quòd gratus moriar, dum morior, tibi.
Contra, tu nihili meam
Mortem pendis, & es Lydia maxima
Mortis cauſa meæ: caue
Iratam Nemeſim: pro meritis Dea hæc

Cunctis præmia porrigit,
Ingratosq; premit, diſsipat, enecat.

De pignore amoris
Lydiæ.

Ode dicolos diſtrophos.

FElices crates, per quas mihi Lydia amoris
Pignora prima dedit.
Felices etiam uectes, felicia dona,
Iunctaq; dextra meæ.
O captiua tuum captiuum Lydia ſemper
His oneres pretijs.
Tunc me nullus amans Lyde felicior, utar
Dummodo pollicitis.
Quod ſi animus noſtrum ſit fraudaturus amorẽ,
Quin potius morior.
Spe tali allectus morerer, mors ſic mihi dulcis
Afforet, & facilis.

Ad Apolloniam Vtineriam.

Ode dicolos diſtrophos.

SI deſyderio tui
  Viſendi teneor, mens mea ut arſerit
Apollonia pulchrior
  Pulchris, noſtra tamen candida pectora
Tangit nulla proteruitas.
  Iam iam luſtra nouem claudimus: & nihil
Ni ſanctum cupimus: tuam
  Splendentem faciem ſi aſpicere expeto.
Hæc eſt cauſa potentior,
  Nam pulcherrima tu crederis omnium:
Nec non tu ſapientia
  Cunctas dicta mihi uincere fœminas.
Tu caſtis quoq; caſtior.
  Pallas tuq; ſimul diceris altera.
Viſendi ſtudio nouas
  Res, orbem peragrans, plurima pertuli
Damna, atq; aſpera: nobilem
  Vrbem tali animo hanc inſuper appuli:
Pulchri quicquid erat meis
  Oblatum eſt oculis. ſola mihi negas

Frontem ſideream tuam.
Neſcis quanta meo uis data carmini?
Neſcis forma decens citò
Quòd uultu è roſeo non reditura abit?
Si uates calamo tuam
Apollonia formarit imaginem,
Viues perpetuò: neq;
Te æternam facient diuitiæ Attali,
Non ſcalptus lapis, aut color,
Nec quicquid tegitur ſidere ſub uago
Phœbi. Viue igitur meis
Tu cum carminibus: nam ueneror tuum
Nomen, plus alijs: mea
Tali mater erat nomine amabilis,
Quam nulla hinc poterit dies
Delere. ò mulier luna uelut nitens
Inter candida ſidera
Noctis, quæ reſides in numero pio
Sanctarum, alma parens mihi,
Nunquam ſat uenerata, ò ſpeculum integræ
Vitæ, quando frui bono
Tecum perpetuo mi dabitur: graue ut
Deponam ſpolium ſolo:
Et diuûm ſedeat ſpiritus in choro.

DE POCVLO SOMNIFERO *ſruſtra porrecto Lydæ amicæ marito.*

Ode dicolos diſtrophos.

ITE *procul ſagæ, procul impia carmina,*
Et uos abite Colchici, *(ſucci*
Qui propè ſidentem miſerum laniaſtis amantẽ,
Secumq́; amicam Lydiam.
Confiſus uobis porrexi pocula plena
Sopore noctis unius.
Profuit haud ſuccus, nihil ipſa papauera ſomno,
Fecere ſed uigilem mage.
Ite igitur ſagæ, procul impia carmina, uoſq́;
Succi ſub orcum luridum.

IN VTINERIAM.

Ode monocolos.

QVod bellam cecini, ſuperba facta es
Vtineria, nec bonæ mineruæ,
Nec pulchræ Veneri proterua cedis.
An te carmina noſtra faſtuoſam

Fecere, unde homines, deasq́ ſpernas?
Quid ſi dixero ueriora ueris,
Nec ſcribam ut placeam amplius, ſed illa
Iam dicam tibi ueriora ueris?
Es ingrata, loquax, ſuperba, auara,
Vera es fœmina, quæ bonum relinquis,
Et malum ſequeris, leuisq́ pluma es.
O ſi dicere quæ latent, ſcioq́
Vellem; deciderent genis colores
Pictis purpurei, nec inde bella
Vtineria dicerere ab ullis,
Sed ingrata, loquax, ſuperba, auara.

AD FORTVNATVM
Martinengum.

Ode dicolos diſtrophos.

Fortunate decus procerũ, uirtutis alumne.
Deducte ab amplis regibus.
Impauido qui Marte ſatus, cognomen ab illo
Illuſtre deducis tuum.
Et proaui, & tritaui, geſſereq́ bella nepotes.
Tuba canenda Homerica.

Hi quanquam norint pugnas tractare cruentas,
Et ſint trophæis nobiles:
Fortunate tamen tua maior gloria, ſiue
Sagulo opus eſt, ſiue eſt toga.
Nam quum bella geris Mauors, quum ſcribis &
Es Cæſar, eloquij aut pater. (alter
Parcere ſubiectis tu noſti, tu afficere ipſos
Iuſtis rebelles præmijs.
Socraticis pectus repleſti ſenſibus, omni
Carens probro, atq; crimine.
Sed quid ego in uaſtũ conſcẽdo lyntribus æquor
Magnis ſecandum nauibus?
Nõ calamus tua facta potẽs, nec dicere mẽs eſt,
Neq; inſtitutum erat hoc meum:
Sed caſum infandum potius recitare, papyrum
Pennamq; dextra ſumpſerat.
Abſoluam paucis, uacua ſi acceſſeris aure,
Rebus remotis arduis.
Tertia poſt denam lux fulſerat armipotentis
Menſis, deo à Mauortio,
Quæ natalis erat meus, ex quo bis mihi quinque
Cœpere luſtra progredi.
Et Iouis ille dies ſemper memorabilis, atq;
Mi feſtus omni tempore.

Illo etiam diuûm cumulanda altaria donis,
Et dij canendi carmine.
Maxima fauſta mihi fuerat pars lapſa diei,
Vnumq́; librum abſolueram.
Lætitiæ inde diem quærens inſumere totum,
Diuerto amicum ad Dulcium.
Munus amicorũ eſt aduerſa, & proſpera fari,
Communia ut ſint omnia.
Quàm ſuaue eſt animi curas deponere amici in
Sinu, atquè læta gaudia.
Dulcis amicitiæ ratione inquiro ſodalem,
Qui iure dictus Dulcius.
Ore canit dulci, nam dulcia carmina, uerba
Leporequè aſperſa Attico.
Qui cũ, dum loquerer, uolucris perlabitur hora,
Terramquè nox inuaſerat.
Concretæq́; polum denſo abdunt agmine nubes,
Et clara condunt ſidera.
Poſt doctũ & uariũ ſermonẽ, auellimur ambo,
Vtriquè amantes proſpera.
Nec mihi luna uiam, mihi nec de more lucerna,
Monſtrabat in nocte humida.
Raptus erã, nec noſtra ſuũ mens munus agebat,
Celeri pede ibam improuidus.

Neſcio quo ductus fato, caſu ue proteruo,
Hoc ſcio, me in altis merſum aquis.
Nec prius immerſum noui me fluctibus illis,
Salſos liquores quàm bibi.
Obſtupui tacitus, pontique pericula amara
Senſi: illico me colligens.
Et quam perdidici puer artem exerceo, ueſtes
Natantis obſtant brachijs.
Auxilium imploro, miſerantum ſentio uoces,
Nec ſentio afferentem opem.
Segnitiem incuſo, percunti occurrite clamo,
Dariquè funem poſtulo.
Iam propè uictus erã, ultrà & ſufferre laborẽ
Nequibam onusquè ueſtium.
Demiſſa chlamyde, & tandem mihi fune beni-
Vir deinde ſuppetias tulit. (gnus
Vllus in hac fuerat nec riuulus altior urbe,
Egentior nec lyntribus.
Conductas repeto inde domos, & flumine largo
Largè fluente è ueſtibus,
Tecta uelut pluuias collectas undiquè mittunt,
Quum nimbus è cœlo excidit.
Dij faxint utinam medijs mala lauerim in undis,
Ceu fonte ſacro, crimina.

Proſperiora mihi ut ſuccedant omnia, triſtes
Sint merſi aquis & exitus.
Nec mihi ſint ſalſi fluctus, ſed Caſtalis unda,
Ex qua poëta prodeam.
Fortunate tuus ſic caſus, quem mihi dixti,
Lares petendo patrios.
Nam, bene ſi memini, ſternax, pauitdsq; equus
In flumen inſilit rapax. (altum
Prouidus inſpiciens caſum tu deſilis, at pes
Ferro retentus obſtitit.
Tunc uiridi in ripa ſtratusquè in gurgite cano,
Partem lauando corporis.
Nunc uirgulta tenẽs, nũc herbas, te eripis illo,
Nymphis opem præſtantibus.
Accurrunt ſocij, ſeruorum longus & ordo,
Deſeruientes tempori.
Eueniunt homini ſæpiſsime plurima fato
Vrgente ineuitabilia.
Hoc fruſtra, aut illud fugimus, nanquè omnia
Veniunt ab optimo deo. (nobis
Conuenit hoc homini tantum bene uiuere, leges
Seruando ſanctas cœlitum.
Et quicquid facimus, metã contendat ad iſtam.
Sunt uana cætera omnia.

AD PETRVM FRANCISCVM Pallauicinum electum Allarienſem.

Ode dicolos tetraſtrophos.

NON ſic Tyndaride eſt Dardanius Paris
Rapta: non ita amans uirgine lactea:
Venator ue feris uſq; fugacibus
Truſis in ſua retia
Gauiſus: ueluti noſter honoribus
Pulchris exilijt nunc animus tuis
Franciſce ò iuuenum decus,
Oræ quos Ligurum tenent.
Quis frontem aſpiciens ſemper amabilem,
Virtuteſq; tuas egregias, ſale &
Verba aſperſa, neget quæ tibi commodo
Cedunt, quæ tibi gloriæ?
Verborum an tenet obliuio te meûm,
Dū explebas ſtudijs candida pectora:
Non Lethes auido flumina gutture
Deguſtaſſe grauis puto.
Vt uaticinij facta ſit immemor
Mens noſtri, uenient omnia iam tibi
Ex uoto, meliora expete, proſpero
Donent fata tibi omine.

Iam iam mi uideor cernere fulgido
Cuncta illa in ſpeculo, quæ cano, muricis
Fulgentem chlamydem et ſanguine uerticẽ.
Sic dij, ſic homines uolunt.

DE SE IPSO.

Ode dicolos tetraſtrophos.

HEV *quæ cura recẽs me modo macerat?*
Et quæ flamma meis æſtuat oßibus?
Vt ſomni fugiant, diſpliceant dapes,
Et ſuſpiria pectore
Fundam; ſed uideo, me Venus impetit,
Et telo lacerat me puer aureo,
Me, qui luſtra nouem claudo, fugacibus
Quærit iungere amoribus.
Et uos præcipua heu cauſa mali intimi
Audaces oculi, non oculi amplius,
Sed fontes lacrymarũ (heu dolor) uberes
Qui perſæpe rigant genas.
Vos pœnas meritas penditis, at meum
Cor tot uulneribus, tot modò ſaucium
Telis immerito ueſtra proteruitas
Atq; audacia perdidit.

Sed nec corda uacant crimine: perfidis
Quæ ſe & multiuolis credere fœminis
Sunt auſa: uſq; nihil perdita cogitant,
Quàm triſte exitium ſui.
Nec tu, quæ ſimilis mens ſuperis deis,
Es iciuna mali, ſemper imagines
In te concipiens, ceu capitis minor,
Aut qui ſomniat ebrius.
Ergò nulla mei pars erit integra?
Cogemur cineres cogier in leueis?
Ni ſæua accipimus iuſſa Cupidinis,
Et durum Veneris iugum.
At cuncta experiar, quàm moriar, prius,
Rerum mors equidem eſt ultima linea.
Confectus ſenio indulſit amoribus
Sic dudum rigidus Cato.

Ad Hieronymum Ruuerem.

Ode monocolos.

STirps Hieronyme ſanguine orta regum,
Dictorum Iouis arbore à uirenti,
Cuius Caſtalides amant ſorores

Pectus, dulcius Orpheo, ut loquantur
Tuo ore: ille licet feras & altas
Quercus duceret, atq; aquas liquentes
Sisteret Citharæ ſono loquacis.
Quicquid Pythagoras, Platoq; doctus,
Scripſerunt animo, tenes ſub alto,
Et noſti (ut populos regas feroceis)
Leges: es Cicero diſertus alter.
Eſt prudens animus tibi, ſecundis
In rebus dubijsq;: fului & auri
Non multum cupidus: uiris & ultro
Dictus munificus bene eruditis.
O uirum egregium, uirum probatum.
O ſi Muſa mihi tuas canenti
Laudes nunc faueat, parum uerebor
Aetas quin legitet futura noſtros
Verſus, & pariter tuos honores.
Sed duris modo ſauciata curis:
Mens carmen refugit, cupitq;, & optat
Quod legas aliquid dare, unde librum
Hunc noſtrum accipias Catoniano
Haud ſupercilio, at furit Leonis
Dum ſidus, fugis & meridiari,
Illum tunc relegas uelim absq; rugis.

Quintilianus in detractorem inuehitur.

Ode tricolos tetraſtrophos.

EST *qui labores dicat ineptias*
Meos probatos, & petulantia
Cum multa ineptum appellet, ac ſim
Pylades prob ego Brixienſis.
Romanæ an is ſcit gloria ſim togæ,
Et iure? ab orco nam eloquia horrido
Ego euocaui, artemquè fandi
Edocui numeroſus autor.
Præcepta quisquis proſequitur mea,
Errare nunquam, ſeu fuerit puer,
Seu uir, poteſt: orationes
Conficiet Latio ore cultas.
Quicunq; famam comparat inclytam,
Clarumq; nomen qui ſibi diſcupit,
Non carpit optimos: maligni hoc,
Inſcij, & officium imperiti eſt.
Quales nepotes nunc mihi gratias
Referre debent, dicite uos probi,
Doctiq; ſentio fateri hoc
A Cicerone mihi corona.

Non me putetis pendere plurimi
Nugas inepti huius & inſcij,
Et carneam hanc molem timere,
Me potius miſeret furentis.
Vos unde amici ò elleborum date
Illi, laborat ſat capite hic miſer,
Pertundite en uenam tumentem
Stultitia ò medici impudentis.
Quid ſtatis ultrà ? iungite aheneis
Vinclis furentem, cernite lumina
Lymphatici quàm torua, uincla
Nectite iam pedibus furentis.

LAVDES LYDIAE.

Ode tricolos tetraſtrophos.

VEntis fluentes quæ uolitant comæ,
Formoſa ob alto uertice Lydia,
Ceu fila ſunt nitentia auri,
Aut radij rutilante Phœbo.
Et ſunt ſub ipſis bina micantia
Cœli ſereni ſidera, lucidam
Lucem afferentia, eſt breuis frons,
Nigra ſupercilia, atq; flexa.

Surgunt ſub ipſis puniceæ genæ,
Perfuſum ut oſtro candidum ebur: rubra
Coralia ipſa labra: denſq;
Subiacet his niuei coloris.
Dehinc colla pulchro lactea pectori
Iunguntur: albæ ſuntq; papillulæ,
Ceu bina poma, & ſemper ultro
Rumpere amant retinacla rara.
Inceſſus uni perſimilis deæ,
Lepore Graio uerbaq; prædita
Profers ab ore, ut alma fari
Viſa mihi Cytherea fulgens.
Dum plectra longis articulis ſonas,
Canisq; ſiſtis flumina, & aëras
Si docta fingis carmina, ipſam
Calliopen ſuperas uel æquas.
Nil ſegne tractas, ſed ſale ſunt tua
Reſperſa: iunctæ gratiæ in omnibus
Rebus decenteis ſunt, nec à te
Noctibus aut abeunt diebus.
Vt te dearum de numero putem
Vnam eſſe, & eſſes, durius eſculo
Ni pectus eſſet: ut leænas
Et ſuperes feritate tigres.

Non ſolum amanti, ſed tibi es aſpera,
Diuinitatis ſæuitia tua
Quum gloriam nomenquè perdas,
Vitam adimens animamquè amanti.
Si dura perdis qui te amat intime
Totus medullis; quid facies ei
Qui te odit? illum amabis? eſt merx
Maxima amoris amare amanteis.
Amore in ipſo nobilitas iacet,
Latetquè uirtus, atquè animi decor.
Frange ergo dura corda, amaquè:
Nam ſine amore nihil boni uſquam eſt.

IN ADRIAM.

Ode tricolos tetraſtrophos.

SI queris quid agam, præſtolor Adria;
Vt me conuenias percupidum tui,
Me qui depereo te
Noſtri multum auidam mali.
At non conuenies, ſic mea me monet
Mens præſaga mali: nanquè pecuniæ es,
Non uirtutis amatrix:
Ex hoc te ſcio fœminam,

Quæ peiora cupit, deſpicit optima.
Nulla hic caſta, deos teſtor Olympicos,
Nec proſtrata uolentis
Sed uenalis ementibus.
Ah proles pereat talis adultera, &
Mergatur rapidis fluctibus Adriæ
Mos talis, pereantq;
Turpes harum etiam uiri.
Te tanti nec emam, ut pœniteat tui
Me mox, quum nec ames unius in ſinū
Tantum fota teneri,
Sed centum cupis Adria.
Commune hoc uitium nouimus Adria,
Non ſolum Adriacis, proh pudor, omnibus,
Sed quæ munere dulci
Veſcuntur uiridis ſoli.

Ad Bernardum Spinam.

Ode monocolos.

TEcum doctiloqui uiri, Lupanus,
Cruccius q; mei, diſerte Spina,
Cœnatum uenient, deo annuente,
Et conuiuia te inſtruente docta:

Nam tu lauta paras, ſuperflui iſti
Nil optant, ſolitum teneto morem.
Hoc unum moneo, merum iubeto
Lymphis frigidulis refrigerari,
Aut uaſa in puteo cauo recondi:
Nec triſtes iugulent aquæ Falernum.
A te ultro remoue parumper atras
Curas, nam genium ſoluti amamus
Curare, & cyathis deos uocare,
Vt magno faueant Philippo, & alto
Cæſari, Auſoniæ uolanti ad oras.
Inuident tibi Cæſar, & Philippus,
Quod taleis habeas uiros apud te,
Qui poſſunt reuocare priſca ſecla
Ab orco, ergo hodie parato cœnam.

In Conantem diſſoluere amantes.

Ode dicolos tetraſtrophos.

QVicunq; in ipſis ſpargit amantibus
Rixas, & iras, atquè odia aſpera
Hos inter excitat proteruus,
Faucibus ab pereat luporum,

Canis canino uel laniarier
In fruſta ſeſe paruula ſentiat
Morſu, atq; dente uiperino, &
Sæuitiam patiatur omnem.
Prognatus iſte è cautibus aſperis,
Crudelibusq; à tigribus extitit,
Dulceis amores quicq; amanteis
Voce reſoluere amat procaci.
Quos non furentes Africus & Notus
Auſi in proteruis perdere fluctibus,
Dolor, fames, carcer, ipſa
Pauperies timuit uaganteis
Amplexu ab ipſo ſoluere amabilis
Triſulca ſoluet lingua mali aſpidis?
Diſiunget antiquos amores
Lingua triſulca nigro ueneno?
Tu tu caprimulge in iuuenem ſeris
Bellamq; Lydam triſtia iurgia?
Tu mime, tu informis urſe,
Tu ſatyre hæc ſcelera impia audes?
Tu nate noctis, tuq; Herebi puer,
Dulceis amores ſoluere niteris?
Ni cœpto ab iſto traxeris te,
Vt ſocerum Archilochus ſequar te.

Miſer, ſi acuta hæc ſpicula ſenſeris,
Pendere cogere arbore, zonula
Collo reuincta: iam recanta,
Ne experiare deum furentem.

AD IO. ANGELVM ARCIMBOLdum Archiepiſcopum Mediolanenſem.

Ode monocolos.

NArrarunt mihi neſcio qui amici
Antiqua probitate prænitentes,
Viri haud nugigeri, nec obloquentes,
Nec lucri cupidi, ſed integelli,
Te accepiſſe animo graues dolores,
Paſtori quoniam pecus repugnat,
Nec turpem ſcabiem, maloſ ue morbos
Tolli à ſe patitur, grauemq; peſtem:
Sed creſcit magis in dies, magisq;.
Audi ſi placet, Angele optime, audi,
Curari minimè poteſt cicatrix
Vetus, ni admoueas & enſem, & ignem:
Præſertim veteres, maliq; mores.
Villos non uitium lupi inde linquunt.

Vxores cupidis putas maritis
Tu diuellere? tuq; ſummouere
Fratrem credis amabili à ſorore?
Perdurum & minimè utilem laborem
Subiuiſti, ut alas prius uagantes
Piſces in ſyluis, agro aut patenti,
Quàm cœno amoueas ſues ab ipſo.
Laſciuum eſt animal lupis uorandum,
Nam ſemper fugiunt gregem capellæ,
Atq; hædi, atq; olidi ſui mariti.
Curato docilem gregem, tuo qui
Sub pedo regitur, tuaq; uoce:
Hos hircos lanient lupi rapaces:
Nam ſunt reprobi, & arbores Lyæi,
E quibus liquor exit ille dulcis,
Qui mentes recreat labore feſſas,
Curasq; ex animo fugat malignas,
Morſu uipereo ſecant, necantq;:
Hos hircos lanient lupi rapaces,
Vxoresq; uagas, uagos & hædos.
A te pondera iam negotiorum
Magnorum abijce, dum furit Leonis
Stella, dum Canis æſtuat malignus:
Vt ſerues uiridem tuam ſenectam

Et tibi, & gregibus, tuiſq; amicis,
Obiectare caput tuum periclis,
Fructu abſq; , ut uideare paſtor eſſe,
Non eſt Angele laus tibi decora.
Te ſeruare gregi bono; tuiſq;
Id eſt utile, id optimum, id decorum.

DE SE IPSO & Lydia.

Ode dicolos tetraſtrophos.

DEfeſſum placidis dum mea Lydia
Vlnis me recreare, aut gremio, aut ſinu
Non poßet tenero, aut ſuauibus oſculis,
Ore aut mellifluo ſuo,
Menſas appoſuit nectare ſplendidas,
Dulciq; ambroſia, ceu poſuit Venus
Dijs uictoribus, in lurida Tartara
Truſis terrigenis uiris.
Muſantemquè oculis, nutu & amabili
Me inuitat, ueluti diceret, ò mea
Lux hæc appoſui quæ potui, amplius
Si poſſem ex animo darem:

Nec deſiderio me ſuperas, ſimul
Tecum diſpereo, me face mutua
Dulcis torret amor, ſume dapes, meam
Imò ſume animam precor.
Vllis an potuit menſa beatior
Apponi? an tenebras Iuppiter horrido
Nutu ſidereo pellere ab æthere
Concreto melius poteſt?
Hac cernas utinam lampade fulgida
Me, qui conſpicio te mihi charius,
Nil, quam dum intueor, uiuo, amo, & ardeo,
Diuina & facie fruor.
O duris utinam ſæpe laboribus
Venando tenear; Lydia talibus:
O ſemper recrees me me oculis, tuo
Nutu ſidereo precor.

Ad Petrum Franciſcum Pallauicinum, in morte patrui Allariæ Epiſcopi.

Ode dicolos tetraſtrophos.

PArcendum eſt lacrymis atq; doloribus,
Magni morte ſuper patrui amabilis,
Qui te plus oculis, plus anima ſua
Dulci ſemper amauerat:
Qui te præcipuis fecit honoribus
Illuſtrem, inq; ſuo te ſtatuit loco,
Vt cunctis uiridi uertice fulgeas,
Et præſtes ſapientia.
Hoc eſt quòd nequeas parcere fletibus,
Et plus quàm deceat te Petre maceres.
Neſcis quod noceas tu tibi, & patruo
Viuenti ſuper æthere?
Corrupto ex aliquo naſcitur integrum,
Cedunt priſca nouis rebus, & inſuper
Alternis uicibus tempora lubrica
Regnant: non eadem manent.
Sub ſole exoritur quodlibet, interit.
Parcæ cuncta truci falce etiam ſecant
Vno herbam & ſegetes faſce ligant, ſimul
Aequant agricolis duces.

Cedendum hinc igitur, quærimus & nouam
Sedem: quòd reliquum inſumere conuenit
Multa in lætitia, linquere poſteris
Nomenq; ære perennius.
Dij te præcipuis muneribus tribus
Ornarunt, opibus, corpore, dotibus
Præclaris animi nobilis: utere
Donis raro homini datis.
Quin ſumpto potiùs pectine dicimus
Laudes egregias illius, & roſis
Ornamus tumulum, lacte, mero addimus,
Et ſpumantia pocula.

AD IO. BAPTISTAM Bracellum.

Ode monocolos.

FLos Bracelle, decusq; ſeculi huius,
Vultu Apollineo, aureoquè crine,
Præclaro ingenio, nigris ocellis,
Pulcro pectore, candidaq; mente.
Præſtantiq; animo, omnibus referto
Bonis, ut facile iuuenculorum

Sis princeps, quoties tui reuoluo
Dotes pectoris inclytas, fatemur
Petrum magnanimum, ſacrum, piumq́,
Parcum laudibus in tuis fuiſſe:
Quanquam te decorarit amplo honore,
Omni tu tamen usq́ laude maior.
Nanque tu rapidas aquas, Notumq́,
Ore dum roſeo canis, retardas.
Nam leges animum quibus repleſti,
Et clarum proauûm genus tuorum,
Ingentes & opes ſilemus, unum hoc
Dico, floſculus es iuuenculorum.
Qui formoſior elegantiorq́
Idæo puero, licet Tonanti
Nectar porrigat is, tamen minor te.
Narciſſo ſimilis, ſed aſper ille,
Tu humanus, facilis, benignus, atq́
Comis, tu ſapiens, diſertus, omni
Virtutum genere es refertus usque:
Vt te omnes celebrent, colant, amentq́:
Hæcq́ uno pariter fatentur ore:
Bracellus iuuenum decusq́, floſq́.

Lingua Latina in uulgarem.

Ode dicolos tetraſtrophos.

IVſtas querelas audiat extera
Gens: quando ſurdis Auſonia auribus
Obaudis, & tuam dolentem
Inſcitiam male grata rides.
Recto relicto tramite deuia
Erras, repulſa me domina, infimæ
Ancillæ adhæres; me iubesq;
E domina egregia eſſe ſeruam.
Neſcis Latinum nomen ad ultimas
Volaſſe gentes? (proh dolor) imperi
Suiq; maieſtatem honoris
Imminui minimè loquendo?
Gens ſceptra rerum perdidit Itala,
Sermonis eheu perdere gloriam
Ignara conaris malorum,
In uariam abraperis Charybdim.
Latina quantum uox ualeat, ſciunt
Galli, Britanni, Sauromatæ, Gethæ,
Germani, Iberi, Aegyptij, Afri,
Græci, Arabes, noui & orbis oræ.

Reginam & audes ſpuria nobilem
Seruilis extra pellere regiam?
An tanta ſeruis eſt proteruis
Facta licentia praua agendi?
Seruile regnum ſemper erit tuum,
Conſerua ſemper tuq; eris: ab mea
Ancilla ſeruis ſeruiens me
Eiciet ſolio ex auito?
Ingrata me me tu Auſonia eijcis?
Nomen Latinum, ac imperium tuum
Adhuc ſuperbum, adhuc potens, quæ
Poßideo, teneo, tenebo.
Allecta blandis uocibus iſtius
Fucatæ, inertis tu meretriculæ
Me negligis, pellis, relinquis?
Ergo premet meretrix pudicam?
Ancillam & eius reijce filium:
Ancillæ haud hæres filius hic erit.
Potens Olympi rector alti, hæc
Dixerat aſpiciens futura.
Seruile regnum ſemper inutile,
Tunc regna ceßant, quum domini locum
Serui aſſequuntur: nuncq; ſeruit
Itala gens, quia nata ſeruis.

Nam ſerua ſeruit, nec dominarier
Scit; turpi & ipſa torpet in otio.
Qui liber eſt ſeruire neſcit,
Nec patitur domino ſubeſſe.
Seruusq; ſemper quæ humilia inſpicit,
Duros labores uitat, & effugit.
Qui liber eſt uirtutis audet
Ardua quærere regna claræ.
Regnaret in te ſi generoſitas,
Vulgaris à uulgo inſcio, inerteq;
Denominari diciérq;
Non paterere: docent res
Iniuncta, quæ ſint, nomina. Non habet
Commune ſeruus cum domino inclyto.
Diſcrimen extat grande, uulgi
Seruus erit: dominusq; rex eſt.
Materna dicor lingua, fatebere,
Et hoc fatebor: ſeruula mater eſt,
Tu ſerua ſecum ſeruis: & nil,
Ni dedero tibi ſerua, habebis.
Ingrata quæ à me ſurpere ſubdole
Studes (libenter nam patior ſciens)
Diffingis immutare ſemper,
Ne mea tunc uideantur eſſe.

Romana proles imperium prius
Subegit orbis, quàm bene ſeuerit
Linguam Latinam, quumq; uictrix
Eſſet, & imperitaret orbi,
Hæc uerba diſperſit Latialia,
Electa quæ ſunt omnibus è locis,
Queis ſermo caſtus, purus, altus,
Et proprius, facilis, decensq;.
Fui parumper principio rudis,
Sed me expoliuit Scipio, Lælius,
Hortenſius, Brutus, Catones,
Varro, bonus Cicero, atq; Criſpus,
Doctus Catullus, dehinc Maro, Horatius,
Gallus, Tibullus, Naſo, Propertius,
Auguſtus altus, Valgiusq;,
Innumeriq; alij periti,
Primi cadentis ſeculi, & inſcij
Huius, tenetis quos manibus, neque
Tranſibo Plautum te parentem,
Candide mi neque te Terenti,
Qui me docetis ſingula dicere
Caſtè, latinè, copia amabili
Verborum, & arte propria ipſa,
Et numeros ſalibus refertos,

Haurimus ex his irriguis aquas
Semper nitentes fontibus, inſuper
Noſtri bibere ex his parentes,
Vberiore fluuntq; uena.
Torrente ab ipſo turbido & aſpero
Vobis bibendum, quum pluuia excidit
Cœlo, lauans montes agrosq;,
Quum ueniunt liquidi, illico arent.
Ancilla iam te commonui ſatis:
Herile nanq; eſt officium ſuos
Monere ſeruos deuios à
Limite, corrigere hosq; flagris.
Et ni mihi ultro ſeruula ſeruias,
Virgis rigabo iam tua tergora.
Si inſeruies, ut eſt decens,
Ipſa mihi, inde manu remittam.

AD POMPEIVM
Amelphij Principem.

Ode dicolos diſtrophos.

MAgnorum ſoboles ducum,
Pompei flos iuuenũ, pectora ſenſibus

Cuius Socraticis nitent,
Et ſanctis redolent legibus, optimis
Fortunæ atq; animi bonis
Pollent, & pariter corporis, inclytũm
Vt ſis ciuium honor, decus
Antiqui Latij: doctiloquo uiro
Muſſo præcipuè tuo
Aſtanti lateri, cuius amabilis
Admiranda magis uenit
Quam laudanda ſatis mi ſapientia.
Vnde omnes & amant probi
Te Pompeiq; colunt, munificentia
Quando hos allicias tua,
Atq; illos merito ac obſequio iuues.
Quum feſſus grauioribus
Mi Pompei ſtudijs eſt animus tuus,
Tete ad pulchra poëmata
Conuertis, recreans mentem auidam noui
Semper, tuq; canis ſimul
Carmen mellifluo mollius Orpheo.
Quanquam in purpureum diem
Et lucem nitidam haud uenerit antea,
Doctas Muſa tamen manus
Pompei non timuit noſtra tuas, lubens
Sed

Sed uenit, quia diligis
Me, qui te ueneror numina ceu pia:
Hos luſus igitur lege,
Imo docte puer perlege, ſi placent.

AD GABRIELEM
Panigarolam.

Ode monocclos.

Diſertiſsime Gabriel libellum,
In lucem modo quem dedi legendum,
Et Nilo, & Rhodano, & Pado, atq; Ibero,
Necnon Danubij incolenti ad undas,
Flauenti quoque Tybridi, & Sebetho,
Ticinoq; meo aureis arenis
Atque ſplendidulis aquis fluenti,
Donamus tibi, ut hunc legas frequenter,
Non quando innumeri ruunt clientes
Aedes ante tuas, uelut deorum
Matres templa petunt comis ſolutis,
Vrbi quum exitium imminet tremendum:
At hos fallere dum cupis, Canemq;,
Et ſomnum, uolumus legas, edaces

Curas proijciens, Catonianam
Cenſuram fugias, licet politus
Nullo auro aut minio ſit hic: libelli
Laudandi haud ueniunt bene expoliti
Foris, interiùs male eruditi.
Sed qui ſenſibus optimis abundant.
Tu aſperſus ſale, & Attico es lepore:
Romani eloquij haud minor parente.
Nam quò oratio ſe tua affluendo
Inclinat, prope iudices & illò
Conuertunt animos. quod ipſe laudas,
Id ipſi ſimul approbant libenter.
Agunt id meritò: utriuſq; iuris
Tu interpres ſine comparatione.
Quum rectum uiget, æquitasq; regnat,
Ad magna officia inſcius uocaris.
Virtutes cano quid tuas decoras,
Dignas Mæonide, et bono Marone?
Certe hoc non fuerat meum inſtitutum:
Sed hunc ut legeres breuem libellum, &
Noſtri eſſes memor inde qui te amamus.

DE CANE ET FELE MARCI Barbauarij Præſidis.

Ode monocolos.

REM grandem referam & ſatis iocoſam,
Vt mirere ſimul, ſimul ſoluto
Vix poßis retinere te a cachino.
Nullos felibus inſolentiores
Hoſtes uidimus eße quàm catellos.
Illos fœdere nos tamen benigno
Iunctos uidimus, & ſimul iocari,
Amplexus dare, & oſculationes,
Mollium quoquè morſiuncularum
Signa candidulo notare dente,
Tercentum & dare baſiationes,
Lance una & bibere, eße lance & una
Rixarum ſine fluctuatione.
Vt canis uideatur eſſe felis,
Et felis canis eße iudicetur.
Hæc quis credere poſſet eſſe uera?
Et ſunt omnia ueriora ueris.
Naturam probitas uiri eruditi
Eſt mutare potens, potens leones
Eſt manſueſcere, tigridesq; ſæuas.

Quod ſi difficile eſſe iudicabis,
I, Marcum pete Præſidem Senatus:
Dices omnia ueriora ueris.

IN SILCINVM.

Ode dicolos diſtrophos.

Silcine, quæ te compulit dementia
Libros cacatos edere?
An neſciebas te parare piſcibus
Veſtemq; lardo luridam?
Miſeret tui me nunc miſerrumi omnium
Miſerrimarum gentium.
Cur te ducum, & regum facis potentium
Fratrem gemellum? quum fame
Miſelle pereas: & niſi paraſitico
Sequare more diuitum
Menſas ſuperbas, cogerere in portica
Petere miſelle nummulum.
Tu diuiti, tu pauperi faſtidio es,
Dum perfricata fronte petis:
Et ſeu negent, ſeu dent, maligne detrahis.
Silcine iam te corrige:

Qui ſis memento : diſce poſt hæc eloqui,
    Viriſq; honorem reddere.
Libroſq; ſermonum carentium ſale
    Veneris marito conſecra.
Recede ab urbe iam miſer Neptunia,
    Ne hanc ſpargito ignorantia.
Deferq; fabellas inutiles tuas
    Aliò ſenex ineptule.
Rugoſa flagris ſunt riganda tergora
    Lictoris ad faſtidium.
Loquar nec ultra; ſi ſapis, mox mox abi,
    Lodice tolli ni uelis.

AD DOMINICVM VANERIVM,

De laudibus Antonij Calergi.

Ode dicolos tetraſtrophos.

VAneri Venetum gloria ciuium,
    Quot ſunt, quot fuerāt Domnice, quotq; erūt,
Hetruſco ore potēs, ſeu pede libero,
Seu uincto bene ſcripſeris.

Quid mi imponis onus non humeris meis
  Aequum, quod meliùs ferre potes tuis?
  Nam te te Aonijs nutrijt in iugis
  Muſarum modulans chorus.
Calergos proceres regibus inclytis
  Decantare ſatos pectine me mones,
  Dicendos potius carmine Homerico,
  Magni aut Vergilij tuba.
Annales patrios Domnice perlege,
  Horumq; hiſtorias auribus omnium
  Notas, officijs ut patriam ſcias
  Queis ueſtram hi cumulauerint.
Quàm fido Venetos pectore amauerint
  Calergi, ex animis diſce rebellibus,
  Qui uincti horum opera, ac imperio dati
  Veſtro, æquisq; ſecuribus.
Et uos quum Ligures claſſe laceſſerent,
  Effecere minus deſſicerent, licet
  Gentem hanc pollicitis ſollicitauerint,
  Quæ contrà auxilio aſtitit.
Mari cinge pater tempora laurea,
  Seruatam ob patriam fortium ab impetu
  Turcarum, imperium ne Venetum potens
  Vaſtaret furor impius.

Et motus uarios deniq; ciuium
Repreſſere prius, Victor, & optimus
Andreas: Venetum qui tenuit uices
Illo tempore, comprobat.
Antoni meritò es ciuibus intimus,
Et gratus Venetis, magnanimi ob tuas
Virtutes animi, factaq; ſplendida
Toto orbi celeberrima.
Collecto patriam milite liberas,
Quæ centum fuerat nobilis urbibus,
Pulſis innumeris claßibus hoſtium, et
Donis militibus datis.
Tu Cretæ reparas diruta mœnia,
Tu motus pariter tollere ciuicos,
Et donare ſoles emeritos duces,
Vir horarum etiam omnium.
Tu informas ſtudijs pectora candidis,
Te aiunt munificum uatibus optimis,
Et te morte magis reſpuere impia,
Exemplarq; animi integri.
Inde inter procerum ſcriberis ordines
Illuſtres Venetum: & progenies tua
Olim iuncta fuit pro meritis pijs
Et pura in Venetos fide.

Heroas meritò Gnoſsia procreas
Tellus, nam ſolita es ſidereos deos,
Infernos pariterq; edere iudices,
Nulla ut clarior inſula.
Dij faxint utinam ſecla per omnia
Hi luſus maneant, & dea Caſtalis
Optatis faueat, Phœbus ubi nitet,
Antoni ut niteat decus.

Ad medicum quendam.

Ode monocolos.

DIxerunt aliqui boni ſodales,
Te inueniſſe nouum modum fugandi
Aeſtus, & rabiem Canis furentis:
Et te frigidulum eſſe me calente:
Nam dicunt ſuperinduiße ueſtes
Tinctas pallidulo colore amantum
Te, ficto faciemq; tuamq; uultu
Velaße: ò Superi bonam medellam
Porrexit medicus ſibi furente
Leone, atq; Canicula æſtuante.
Siccis humida, humidisq; ſicca
Curari medici docent periti.

Ignes ignibus, & uenena curas
Venenis: equidem probè es probandus.
Galenus docet ecquid iſta ueſter?
Aut caſtum Hippolytum euocans ab orco?
Hanc te artem uolo neminem docere;
Nec ſumma ſine te pecuniarum
Mederi, ò medice, ò medella ſancta.
Cæſar ſi ſciet hoc, eris beatus:
Si qui perperam agunt erunt beati.
Sed nuſquam caueas loci ſciatur:
Et hoc conſilium tene approbatum:
Tribus te Anticyris egere dicent.
Freneſim inq́ grauem incidiſſe credent.
Dum curas alios te amice cura.

AD MARCVM BARBAVArium de fele & catulo ſuo.

Ode dicolos diſtrophos.

IN cœlum Erigones catulum dixere relatum,
Vrat ut inde ſolum.
Quòd tumulū domini gnatæ monſtrauerat, inter
Sidera clara micat.

Quòd ſi reſpiciunt ſuperi dij talia, Marce
Quis locus inde tuo?
Naturam qui ipſam mutauit te auſpice, ut hoſtẽ
Conciliatus amet.
Nam & catulum, & cattum, quorum haud inſenſior hoſtis
Lanx habet una ſimul,
Amplexus dulceis, atq; oſcula mutua dantes
Nequitias faciunt.
Induat ut felis naturam Marce catelli,
Felis & ipſe canis.
Iam geminum ſidus fulgebit in æthere, eruntq;
Aſtra benigna duo.
Sub pede erit dextro catulus, felisq; ſiniſtro
Stella coruſca tuo.
Ad ſuperos rapiere choros quum Marce, ſedebis
Inter & ipſe deos.

AD EVNDEM.

Ode dicolos diſtrophos.

FEles rapaces, & canes hoſtes graueis
Dulci iugaſti fœdere.
Amiciores ullæ ut his non ſint feræ,
Quanquam impares in ſpecie.

Menteſ ſacerdotum impias bacchantium
Nequis poëtæ iungere.
An hi feris immaniores aſperis,
Vt ſæuiant ſuum in genus?
Vis me fateri cur tibi haud conſentiant,
Et ueriora concinam?
Inſenſius mi Marce nil ſcientiæ eſt,
Quàm lurida ignorantia.
A morte, quantum uita diſtat, horrida,
Tantum peritus inſcio.
O patria antea uiris probiſsimis
Culta, & modo impuriſsimis.
Virtute ſpreta (proh dolor) tu ſordibus
Immerſa fœtidiſsimis,
Dicenda auara, non noua ara es amplius
Sacra deo Tirynthio.
Viros probatos enecas: nec Præſidi
Credis Senatus inclyto.
Quantas ruinas imminere cernimus
Tuo proterua uertici.
At tu corona ſacrificulorum ſatis
Turpata, fractaq́, ab caue.
Quando malorum cauſa ſis potiſsima
Minantium exitium graue.

Benigne Præſes, qui feras ſæuiſſimas
Humanitate tua domas,
Manſueſcis atq; , ne dolorem concipe
Grauem horum ob inclementiam,
Relinque uiuant in ſua duritia,
Nec ſentiant clementiam.
Nam tale pondus redditur pendentibus,
Hi quale menſi ſunt prius.

In febrem quæ eundem Marcum
Præſidem uexabat.

Ode dicolos diſtrophos.

HVmano heu generi mala
Quæ Pandora tulit nuntia cœlitum,
Vt non obſuerit minùs
In genteis miſeras agmina febrium
Diſpergendo calentium:
Quàm quæ illuſa fuit fraudibus ac dolis
Serpentis nocui, manet
Hinc probroſa nota æterna nepotibus.
Tolluntur maculæ putres
Aſt in fonte ſacro: creſcit & in dies

Iſta infanda lues, bonos
  Infeſtatq; uiros, ſternit, & eximit
Vires, corpora languida
  Lecto dira premit, non epulæ placent,
Semper pocula & expetit,
  Atq; urit grauibus membra caloribus.
O dira, atra, nefaria
  Febris, quæ excrucias præcipuos uiros.
Quæ te audacia perdita
  Suaſit ſæua lues artubus inclyti
Barbauarij, & integri, &
  Clari, munifici, magnanimi, optimi,
Qui patrum celeberrimo
  Præeſt concilio, quiq; Senatui
Amplo, tot mala reddere?
  Febris dira, pios ſiccine comprimis?
Dij te in lurida Tartara
  Detrudant; homines ne ulteriùs probos
Vexes: ſemper enim bonæ
  Quando infenſa ualetudini es, an tibi
Deſunt corpora inertium,
  Qui indulgent Veneri, qui Bromio, & dapi,
Cornice & mage garruli,
  Norunt deque bonis turpiter obloqui,

Et queis ſola pecunia
  Cordi eſt, praua placent, & bona diſplicent.
Si pinguem cupis, accipe
  Culpanum, genio qui genialiter
Seruit, tuq; calumnia
  Turpi libera eris: ſi mage amas macrum,
Quendam cauſidicum pete,
  Quem panem eſſe ferunt, non ſine aqua, ul-
Illo nec ſaturatur: at (timum,
  Si uis longũ hominem, carneum, & oſſeum,
Cui latum os, oculi ignei,
  Et ſunt Arcadici auriculæ aſini:
Cui nares quoque uulturis,
  Harpyiæq; manus, dens ſuis aſperi,
Hirci barba olidi, color
  Glaucus, fors medicus, ſeu mage merdicus:
Illum inuade retrogradis
  Qui cognomen habet piſcibus à pigris.
Tales aggredere, & optimo
  Ter, ni iniuſta, quaterq;, abſtine Præſidi
Barbauario amabili.
  Hæc ſi dira facis febris ut improbos
Vexes, deſtituas bonos:
  Plutonis ueluti ſuccula coniugi

Ante aras tibi concidet,
Nec diram uocitabo amplius, at deam.

De Lucæ Contilij Academici
Phœnicij Agia.

Ode dicolos tetraſtrophos.

AN tollam potiùs laudibus inclytis
Clari atq; egregij Cõtili opus ſacrũ,
In quo Socratica eſt alma ſcientia,
Et quicquid Plato dictitat.
An ne acre ingenium, nobile, candidum,
Gonzagæ Hippolytæ Muſa refer, ſupra
Humanum ille ſapit, dictitat, & canit:
Diuarum in numero hæc ſedet.
Illuſtris tuus eſt optime Contili,
Longe nobilior ſed labor extitit,
Illum dum recitat candida Delia
Diuino modulamine.
Felices numeri iam uolitabitis
Per docta ora uirûm, Semideis ubi
Prompſit uoce ſacra uos nemorum dea,
Vos Phœbi ſoror inclyta.

Non hæc Hippolyta eſt rexit Amazonas
Quæ regina, triformis dea ſed potens,
Quæ uirtute nitet lucido in æthere,
Quæ fulget ſapientia.
Præſtanti hæc facie, forma & amabili,
Scitq; heroinas uincere fœminas.
Si quæriſq; genus, progenies deûm,
Si res, ditior Attalo.
Hæc eſt Hippolytæ trina potentia,
Quæ Diana ſimul dicitur integra,
Quòd præſit nitidis ſideribus, nigro &
Orco, & parturientibus.
Dux Gonzaga, ſpei maximæ & optimæ,
Quem Heroas referent facta potentia
Inter magnanimos, dum Procyon furit,
Dum regnat Leo feruidus,
Clarum, & Socraticum Contili opus lege,
In quo multa latent myſtica, quæ tibi
Scitu digna ſatis, lectu etiam, ſacro
Aſſeruandaq; pectore.
Res quantum heu populis cederet Italis,
Si noſſent regimen nobile principes,
Si docti pariter, dira cupido nec
His poſſet dominarier:

Vectigal

Vectigal nequeant ut graue pendere
Fas contra impoſitum, contra etiam deûm
Ius omne, ò utinam Heſperiæ oppida
Aequè ut Mantua ſoluerent.
Non neglecta deûm relligio pia,
Artes ingenuæ non Latij exules:
Non funeſta uirum tot modo funera,
Latrocinia & impia.
Fortunata bono ſidere ciuitas,
Fortunata ſolo frugibus ubere,
Fortunata magis principibus tuis
Doctis ſemper & integris,
Iure es plena uiris & chlamyde, & toga
Claris: diuitijs tu ſimul afflnis,
Magnus purpureus te ſacer Hercules
Dum ſeruat, regit, imperat.

AD FERDINANDVM
Auſtriæ Principem urbem Venetam ingredientem.

Ode dicolos diſtrophos.

ALto Romulidum ſate
Regis magnanimi ſanguine, Cæſaris
Inuictiq; nepos, bonæ &
Multæ ſpei iuuenis, cuius & Auſtrica
Tellus imperio ſacro
Eſt ſubiecta potens, cuius & horridi
Germani populi expetunt,
Et parere uolunt legibus optimis:
Vaſto à flumine Danubi
Veniſti, uitrei ad littora Mincij,
Et pulcherrima mœnia
Mantus fatidicæ, quæ inclyta regia
Germanæ thalamo Ducis
Gōzagæ additæ, & hinc dominā Inſubrum,
Arcem turrigeram Iouis,
Cultam urbem ingenijs, & chlamyde, &
Gleba, & flumine nobilem, (toga, &
Florentemq; uiris, rebus & omnibus.

A magnis poſitam ferunt
Hanc heroibus, & ſidere ſub bono,
Sed triſti omine, ſeruiat
Quum ſemper miſera, heu, gentibus exteris.
Quantum diſtat ab æquore
Magno populeus Mincius, & Padus:
Aut quantum à ſuperis deis
Gens humana, alijs diſtat ab urbibus
Tantum hæc quam ingrederis: pius
Non hanc (ut perhibent) Tros poſuit, maris
Sed rex, & dominus ſuum
Regnum: quando deûm ſortibus omnium
Diuiſum imperium eſt: Ioui
Summo regna poli ſtelliferi data,
Plutoni immiſerabili
Sub terris uacuum quicquid at obtigit,
Neptuno maria, & ſolum,
Qui ſedem hanc placidam conſtituit ſibi,
Naſcentem in medijs aquis,
Sed non æquoream, terra ubi florida,
Sed terrena minus: licet
Hanc circumuolitet flans uagus Aeolus,
Non eſt aërea hæc tamen,
Sed cœli bona pars, quam ſuperi incolunt

Ex dijs facti homines: nihil
Humanum hic penitus: facta pia indicant,
Quæ mentes ſuperant uirûm
Illuſtres, animos inſuper inclytos.
Nanquè hic relligio bene
Diuorum colitur labe ſine: & lues
Quæ infecit propè maximum
Orbem, merſa priùs fluctibus horridis,
Quàm aures uenerit ad pias,
Aut ad nobilium limina ciuium.
Verè illa illa deûm ſoror
Regnat iuſtitia hic inuiolabilis:
Vt non hanc homines putes
Partiri populo, at cœlicolis Iouem.
Artes quid memorem optimas?
Quando hic inuenies innumeros uiros,
Queis non terra tulit pares,
Armis, atq; toga, claßibus, atq; equis.
Hic morum probitas, pudor:
Hic caſtus colitur, nudaq; ueritas,
Et conſtantia, & æquitas.
Regnat ſimplicitas hic quoq; candida:
Hic concordia ciuium,
Mens una eſt, animusq; unus ad optima.

Veſtem omnes ſimilem induunt,
Ceu ſi progeniti ſint patre ab unico.
Quod ducunt alij decus
Vindictam uſque grauē ſumere ab hoſtibus:
Hi contrà melius putant
Vindictam eſſe grauem parcere, & obſequi.
Pax optata diu bona, &
Nuſquam inuenta, quieſcit ſine turbine:
Ac ſedem poſuit ſuam,
Imò hic orta boni totius hæc dea.
Quicquid terra parit, fretum,
Aether quicquid alit proferet illico
Largè hæc maxima ciuitas:
Altrix unde queat dicier omnium
Rerum, & mater, alumnaq;
Orbis quaq; hominum parte fluentium.
Hanc urbem Superi regunt,
Et uirtutibus, & moribus optimis:
Nec non legibus ordinant:
Vt ſint digna deis omnia maximis.
Hanc ergo ingredere ò puer
Regum progenies omine cum bono.
Vrbem molibus arduis
Solerti artificum quæ ingenio, & manu

Extructa eſt celeberrima,
Scalptis marmoribus, ſiue coloribus.
Huc uenit Lyciæ deus.
Huc ſe nata Iouis uertice contulit.
Huc regina Cypri potens
Euexit ſolium non ſine Gratijs.
Hic eſt Mercurius ſagax,
Et Mars ſanguineus, ſed prope terminos
Regnorum reſidet: locus
Illi nullus adeſt, ſed colitur foris.
Quanquam Mars habitet procul
Ex hac urbe, tamen compoſito ordine
Sunt inſtructa bene agmina,
Et ſunt arma ſimul: ſeu mare, ſeu uelis
Terra immittere prælia.
Tu maiora, uidens, eſſe fatebere.
Lætè ergo ingredere inclyta
Heroum ſoboles: Dux uenit obuiam
Donatus tibi, maximus
Donauit Venetis quem modo Iuppiter
Ob dotes animi integri
Virtutesq; : ſimul purpurei patres
Occurrent rate regia,
Maieſtasq; ſenum tam uenerabilis

Præponenda Catonibus,
Atq; ipſis Curijs, iudice te integro.
Poſt hos innumeri uiri
Et docti iuuenes cedere Tullio
Non ſueti, & Fabijs, neque
Claris Scipiadis, rem bene publicam
Qui ſeruare ſuam ſciunt
Romano meliùs, uel Lacedæmone.
Hæc urbs ſola tenet modum
Regnandi, & populis ſcit dominarier.
Magna ergo ingredere ò deûm
Proles: te excipiet magnus honoribus
Et plauſu Venetus. Veni
Huius fronte hilari ſuſcipe amicitiam,
Atq; hanc toto animo tenet
Nam magno eſſe tibi præſidio poteſt.

QVOMODO A PETRO PALlauicino Epiſcopo Allarienſi hoſpitio ſuſceptus.

Ode dicolos diſtrophos.

NON ita Dardanius Siculo eſt à rege receptus
Magnificè hoſpitio,
A Paluicino ceu ſum ſuſceptus amicè,
Præſule magnanimo.
Nec Plato docta magis recitat conuiuia, quæq;
Parte referta ſale,
Quàm noſtra in cœtu numeroſo, atq; ordine pulchro
Doctiloqûum iuuenum.
Non hic arma Ducũ tractauimus impia, nõ hic
Tela Cupido tua.
Sed mores uitam quibus exornare probatos
Debet homo eximius:
Vt ſancti patres, qui diſſeruere peritè in
Relligione deûm.
Eſt meus hic hoſpes iuuenis modo, nanq; fatemur,
Sed probitate ſenex.
Serui illi innumeri, multa uirtute ſed omnes
Ingenioq; ualent.

Naturæ hic latebras, hic leges nouit; & ille
 Mellifluo ore canit.
Et qui deducant tenui ſunt carmina filo,
 Aere cauo, atquè lyra.
Hic nil auditur niſi rectum, nil niſi ſanctum,
 Orequè pacifero.
Cœnobia haud uiuũt meliùs ſine turbine priſcũ,
 Relligioſa patrum,
Ceu domus egregij iuuenis uenerabilis huius,
 Qui pietate nitet.
Huic etiam facies cœleſtis numinis in ſe
 Neſcio quid retinens.
Hic quod mortale eſt ſuperat: nam gratia rebus
 Omnibus alma comes.
Credere quis poſſet iuuenẽ, qui ſanguine clarus,
 Diuitijsq; potens,
Immunem uitijs penitus traducere uitam, &
 Seculi ab illecebris.
Carmine quis poterit digno te dicere uates,
 Quis celebrare ſatis?
Vt taceam partes formoſi corporis, æquant
 Quæ propè te Clariot
Fortunæ pariter felicia munera, nulli
 Cedere quò ualeas.

Quis dotes animi pulchri narrare poëta
Petre tui poterit?
Sic tua uita nitet morum probitate, locandus
Sis numero unde deûm.
Tu ſapiens, prudensq́;, ſimul tibi pectora plena
Legibus eximijs.
Humani atq́; ſacri iuris tua tempora cingit
Laurus Apollinea.
Et tu Socraticis repleſti ſenſibus alta
Pectora, mentem, animum.
Et tu Stagiritis nouiſti dogmata clari,
Aſtra quoq́; & numeros.
Quid referam quantum ualeas pietate deûmq́;
Relligione pia?
Quando etiam diuus credaris, nanq́; ea quæ ſcis,
Scire nequit iuuenis.
Carmina ſi fingis, ſuperas doctum Orphea,
Saxa, feras, traheret. (quamuis
Magnanimusq́; animus nullis qui frangitur atris,
Tollitur aut placidis.
Munificã an dextrã referã? quæ paſcit egẽtes,
Nutrit & in ſtudijs.
Ad te nemo uenit, redeat quin munere plenus,
Plenus amore tui.

Vaſe quid exiguo pontum concludere tento,
Impar onus ſubiens?
Quin potius miror longe maiora futura,
Quæ in foribus uideo.
Et uideo, & magnus dudum prædixit Apollo,
Dum iaceo ad Tripodas.
Te petre conſpicio fulgentem murice & oſtro,
Et tua iuſſa dari.
An meliora canam? uideo alta in ſede ſedentem,
Aureo & in ſolio.
Et fera tempeſtas bellorum cedere paci,
Cedere & arma togæ
Diſcent: Saturni uenient quia tempora Petro
Principe magnanimo.
Vera loquor, uirtus tua, candida uita, deûmq;
Relligio, iſta monent.
Tunc poterunt uates totũ uigilare Decẽbrem, &
Dicere facta tua.
O mihi concedant dij magni talia poſſim
Cernere, & inde frui.
Et tua perpetuæ famæ, & ſacrare papyris
Splendida geſta ſeris.
Quòd mihi ſi dederit felices condere uerſus
Docta Minerua: ſcies

Imo ætas uentura leget me pectore toto,
Toto animo & colere.
Inſuper egregios Bracelli addemus honores,
Qui uelut aſtra nitent.
Dignus nanq; tuis intexi laudibus ille eſt,
Moribus, ingenio.
Quòd ſi uota ualent, & maſcula tura, preceſq;
Audiet iſta deus,
Cunctaq; ſuccedent felicia, & omine fauſto,
Atq; tuo ex animo.

AD LVPANVM.

Ode tricolos tetraſtrophos.

LVpane, mores quem decorant probi,
Ornatq; uirtus, atq; ſcientia,
Mecum ſoluto iam cachino
Ride hominis caput inſolentis,
Mutare gaudet qui ſua nomina,
Quæ fonte ſacro ſumpſerat, altior
Vt cenſeatur. O quam inanis,
Num leuior gracili eſt ariſta?

Mutata iam ſi nomina conferunt,
Rex aut Alexander uolo dicier
Inuictus, aut potens Iulus,
Qui domuit prope uictor orbem.
Lupane, ride talia nomina,
Gaude à lupatis te uocitarier,
Quod frena ſenſibus proteruis
Ponere nequitiæq; noris.
Virtus perenne eſt nomen: & integra
Vita abſq; noxa, factaq; ſplendida,
Honore pulchro, proprioq;,
Nobilitant homines, & ornant.
Torquatus à torque hoſteq; mortuo:
Et Africanus perdomita Africa:
Coruinus a coruo uocatus:
Atq; alij a bene rebus actis.

DE LYDIA.

LAtous radios, faces Cupido,
Dione Charitesq; perdidiſſe
Triſtatur lacrymans, ſed hos, & illas
Geſtat Lydia fronte, ocello, & ore.

Ad Stephanum Spinolam Benedictum, Phœnicior um Academicorum Principem.

Ode tricolos tetraſtrophos.

ORnate mecum Spinola cogitans,
Quàm ſit caduci uita hominis fugax,
Indignor, & mihi grauis ſum
Sæpius, ac odioſus ipſi,
Syluisq; me me condere in horridis
Duxi decorum, quò fugiam inſcium
Vulgus, furores bellicosq;, &
Principum auaritias profundas.
Qui uir probatus ferre poteſt trucum
Regum rapinas tam miſerabiles?
Vitamq; acerbam, duram, inertem
Ducere, & inde mori abſquè honore?
Ab inſtituto ſed reuocas pio
Mentem meam, monſtrando uiam utilem,
Perennitatis, & ſalutis
Præcipuæ, eximijq; honoris,
Princeps creatus doctæ Academiæ,
Nomen beato ſumpſit ab alite
Quæ clarum, ut opaco è ſepulchro
Clarior, & melior reſurgat.

Tuq; excitaſti præcipuos uiros,
Mundi relictis illecebris, iugum
Virtutis almæ glorioſum
Scandere, & à populo abdicare.
Genus tuorum nobile, candidam
Tuamq; mentem Spinola, et integram,
Oſtendis in hoc, ut potentum
Lucida ſis Ligurum corona.
Tanto ergo amici auſpice principe,
Docto, benigno, magnanimo, inclyto,
Soluamus alto uela ponto
Turgida, dum leuis aura regnat.
Aeterna uos inſignia commonent
Aeternitatem quærere amabilem,
Quid pulchriusq;, honeſtiusq;,
Funere quàm in proprio renaſci?

Ad Io. Baptiſtam Bracellum.

Ode dicolos tetraſtrophos.

TV N' Bracelle potes ſic tui amiculi
Obliuiſcier, ut præteriens citus,
Ignoto ueluti nil mihi dixeris,
Sed nec lumina uolueris?
Quid Bracelle mihi hoc neſcio feceris,
Ni laſciuus amor cauſa mali fuit
Tanti, qui rapuit te mihi, lacteo in
Myrtillæ ſtatuens ſinu,
Quæ ardentes oculos, os roſeum tuum
Non ceſſatq; genas dulcibus oſculis
Implere, & querulis uocibus, inſuper
Collum ſtringere brachijs.
Non te te eripere hoc aut laqueo, aut mari
Conabor ualidè, nam citius plagis
Raris claudere aquas, & uacuum aërem
Poſſem, & ſidera tangere:
Quam te amplexibus euellere mutuis
Myrtyllæ Venerem blanditijs deam
Vincentis, facie ſiderea, ebrijs
Mellitisq; oculis ſuis.

O felix

O felix cupidûm copula amantium,
Qui certatis amore, & facie, & fide,
Sed, ſi nulla dies alterum ab altero,
Sat felicior, eximet.

AD CLARAM ALBIGNA-
nam Iuliani Goßelini
coniugem.

Ode tricolos tetraſtrophos.

O Clara claro clarior æthere
Dieq; : ſplendet marmore puriùs
Cui frons : & ardentes ocelli
Lampade Apollinea refulgent.
Cui Pallas artes & ſapientiam
Dat affluentem : Cypria cui dedit
Habere gratias decentes,
Cuiq; Cupido faces micantes.
Et cui diſertus Mercurius ſales
Lepore tinctos Cecropio attulit,
Sit corpore unde clara claro,
Clarior atq; animi decore.

Clara ergo forma præcipua, mage
Es dotibus tu pectoris inclytis,
Clariſsima optimo & marito,
Moribus, ingenio, atq; forma,
Quem ſanguis ornat nobilis, & dea
Pymplea ſacris nutrijt in iugis,
Et quem Minerua donat amplis
Muneribus ſapientiæ alma.
Reges ut illum conſilijs ſuis
Addant potentes, tempore bellico
Pacisq;, & hinc decreta ſignat
Principis eximij Ferantis.
Beatiorem cernere copulam
Poteſt quis ullo tempore coniugum?
Virtute, qui ſunt, forma, amore,
Gente, pares animo, atq; honore.

Ad Cæſarem Vicecomitem.

Ode dicolos diſtrophos.

CAeſar qui Latiæ decus
Lingue præcipuum, ſeu pede libero,
Seu uincto, arma potentium
Regum ſcripſeris, ut Cæſaris inclyti

Aeques ſcripta, boni quoq;
Tulli, qui eloquij maximus eſt pater,
Nec non docta poëmata
Magni Vergilij: uberrima nam tibi
Eſt uena ingenij, & graue, &
Rectum iudicium, & copia amabilis
Verborum, omnibus è locis
Quæ delecta bonis, candida, puraq;.
Tu ſolus potes Italis
Sermonem patrium reddere, nam deo
Debes maximo, & optimo
Multùm, quòd te animi dotibus omnibus
Ornarit, bona plurima
Fortunæ dederit, corporis inſuper.
Non credas calamum manu
Te ornandi teneam candide gratia
Cæſar: ſed pateat meus
In te uerus amor, nam meliùs graues
Te æternare uiros ſuis
Chartis nemo poteſt. Sume igitur tubam,
Et canta horrida prælia
Regum, qui Italiam perdere dimicant
Reginam orbis, ut (ò pudor)
Regnet barbaries eſſera & impia.

AD BERNARDVM GENTI-
lem Phœnicium Academicum.

GEntilis tibi gratias referre
Conor, pro officio pio, & benigno,
Quod impendere non mihi negaſti.
Nam Turcæ à rapida manu trucięꝫ
Curaſti eripere: heu rapax uorabat
Quæ mihi uſui erant bona ipſa priua.
Tu pro me ſubijſti onus, leuari ut
Speremus medio te ab hoſte diro.
Quid obſtat, meliora quin futura
Putem? nobilitas, benignitasꝗ;
Et uirtus, probitasꝗ;, amabilisꝗ;
Frons, & integritas, probiꝗ; mores,
Qui cogunt homines amare te ultro,
Suadent omnia poſſe me autumare.
O dignum iuuenem perennitate,
Non huius calami, at ſacri Maronis.
Gratias licet impares referre
Solùm Muſa queat: tamen leuari
Si faſce hoc poterit, ſcies iuuare
Quàm ſit utile uatibus diſertis:
Nanꝗ; hoc officium per omne uiuet
Seclum, ut te celebrent mei nepotes.

DE TVRCA.

Ode dicolos diſtrophos.

NVnquam tam tener extiti,
Quin Turcam audierim perfidum & (impium
Hoſtem relligionis, &
Gentis Chriſticolæ, & præcipuæ Crucis.
Nunquam illum in Latium ſolum
Venturum didici, quin rigidæ comæ
Sint factæ, & gelidus meis
Sanguis pectoribus manſerit (heu dolor)
Quod dudum timui, modò
Euenit mihi falſa ſub imagine.
Alto monticulis uiro
Et terra genito cum trucibus feris
Prædæ noſtra bona heu data.
Sed quis bleſo homini crederet? aſpero
Vultu, toruo oculo, pilo
Raro, flammigero, duro, olido, hiſpido,
Naſo unco, labio impari,
Longa ungue, & rigida, lumina qui à ſolo
Neſcit tollere, cernere aut
Narrantis faciem, aut ſidera, pectore

Verſatq́ꝫ inſidias, dolos.
Romanas didicit nequitias puer.
Nouit fallere doctiùs
Sinone hic Danao, relligioni & hic
Illuſit, ſacra uendidit.
Heu quam difficile eſt tollere crimina
Antiqua. Hic Latium potens
Dirus, ſacra, deos perdere deſtinat,
Infeſtatq́ꝫ pios uiros,
Furatur, ſpoliat, deſtruit omnia
Humana atqꝫ ſacra, & deûm
Priſcam relligionem. Optime maxime
Diuorum pater hæc pati
Et ſufferre potes turpia & impia?
Aut Turcam Auſonio ſolo
Rex terræ atqꝫ poli, rex hominum & deûm,
Digneris bone tollere,
Ne uates laniet, perdat, & enecet:
Aut in me Archilochi furor
Intret, carminibus Turcam ut Iamdicis
Secter, propoſito meo
Diſcedam minimè, donec & horrida
Illum compulerim & nigra
Pendentem laqueo uiſere Tartara.

Ad librum ut in lucem prodeat.

Ode monocolos.

IN lucem roſeam libelle prodi,
Prodi nec facias maliuolorum
Aßis unius obloquutiones.
Nil frequens hodie magis, magisq́;
Commune in populo, quàm & hunc, & illũ
Mordere, & trahere in latus ſiniſtrum,
Quæ ſeruanda loco fuere dextro.
Nam eſt durum obſtruere ora garrulorum.
Viris fac ſtudeas placere doctis,
Iſtos nugigeros parum paueſcas.
Si te fors aliquis petet canino
Dente, illum moneas ſibi cauere,
Ni uelit pariter retaliari.
Fultus præſidio ſacri & probati
Petri magnanimi, optimi, eruditi,
Paluicini, adeas Iberum, & Iſtrum,
Et Tybrim, Rhodanumq́;, & inde Nilum
Securus: nitidam in diem ergo prodi.

FINIS.


TORPENTES EXCITO
SCORPIONES FVGO